



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

16. S. Edmundus Episcopus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

occasiones! captemus avidi! participes  
 ut igitur nos reddamus virtutum adeò  
 nobis pro æternitate decertantibus ne-  
 cessariarum, de qualibet exerceamus  
 actus quatuor in specie, eòsque vel in  
 libello vitæ spiritualis annotemus, vel  
 urnulæ injiciamus complicatos in sche-  
 dulis. Pro augmento temperantiæ, pu-  
 ritatis, & modestiæ quotidiano adda-  
 mus *duodecim Pater & Ave cum toti-  
 dem Gloria Patri &c.* Si Beata Trini-  
 tas non dederit, quod optamus, unde  
 sperabimus? Oremus ergo fili! Habe-  
 mus bonum Patrem, Advocatum in  
 Christo Jesu, Protectorem in Spiritu  
 Sancto.

Festum S. Edmundi Episcopi  
 Cantuariensis.

EXHORTATIUNCULA I.

**J**esum Sodalem, Mariam meruit Spon-  
 sam, & adamavit Edmundus: Quid  
 melius optabimus, ò fili! est nobis Je-  
 sus à latere: Est & Maria à facie: & non  
 agnoscimus? Quærimus amicos: Ad-  
 sunt nobis! Teneamus. Amicitia ve-



ra, quia bonum hominis maximum, non potest nisi ab optimo impetrari. Amicitia cum homine opprobrium fit plerumque veræ. Jesus, & Maria nesciunt mutabilitatem. His & adhæreamus, & quondam immori instanter petamus.

*Instructio meritoria.*

Confirmemus pactum cum Jesu, & Maria contractum, & quotidie ante meditationem de manè præmittamus Lytanas de Nomine Suavissimo Jesu: De nocte verò ante cubitum Lytanas de Nomine Mariæ. Sic erimus nunquam sine Jesu, & Maria. Amari, teneri, stringi volunt: Chare! & id possumus. Ergo amicis respondeamus.

II.

**S**ubtrahit se hic innocens parvulus sui aliorum, ut secum versaret divina & cœlestia. Sed en! præmium recollectionis. Solum cum Deo agentem in forma pueri speciosissimi salutat Jesus, seque aureis in fronte prodit literis. Hæc delectant? Fili! sensus claudamus, & gustabimus dulcedinem recollectæ mentis. Inimica virtuti est multorum conversa-



versatio : In vitia alter alterum trudemus :  
Nullum præter nos ipsos postulo testem.  
An non quoties fuimus inter homines,  
redivimus minores, tepidiores, tristio-  
res ?

*Instructio meritoria.*

In quietâ anima, non in corpore dis-  
soluto solida virtus est posita. Utamur  
igitur recreatione parciùs, huicque me-  
diam subtrahamus horulam, vel pro stu-  
diis, vel pro precibus coram Sanctissi-  
mo Venerabili clandestinè applicandam.  
Commendo & frequentiozem usum tri-  
umphalis tituli : *Jesus Nazarenus, Rex*  
*Judæorum.* Quò manè, meridie, &  
vespere post signum Salutationis Ange-  
licæ nos quàm devotissimè muniamus.  
Si Jesus in fronte, quid poterit impetus  
Satanæ ?

III.

**S** Edmundus, cùm de peccato audi-  
ret discursum, consuevit dicere : *Si*  
*mihî daretur optio peccati, vel inferni,*  
*continuo in infernum exilirem.* Dilecte  
mi ! Oblatâ occasione quid nos eligere-  
mus ? Si discursus vanos, inutiles, nuga-  
torios,



torios, & sæculares : profectò fratrem, Jesum Christum repellimus à latere nostro, quasi dicentes: *Non hunc, sed Satanam.*

*Instructio meritoria.*

Fides nobis deest, deest & radicalis horror peccati, quia per linguam toties recidimus in vitia antiqua. Ita planè *difficilius est, tacere nōsse, quàm loqui.* Ut S. Edmundi meritis lingua non loquatur nisi quæ pro Dei gloria, & proximi salute, *psalmos pœnitentiales* vel unâ die simul, vel successivè per hebdomadam absolvamus, memores moniti Christi: *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Math. 12.

**Dies S. Gertrudi Magnæ ex Ord.  
S. P. Benedicti Virgini Seraphicæ  
sacra.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**Ratres sumus tantæ Virginis, quam Deus dilexit in charitate perpetuâ, quam & ab infantia sibi attraxit, & in solitudinem vocavit, sibi que desponsavit in fide, & in misericordia. O  
quot